3

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA

De

PURGANTIBUS RITE ADHIBENDIS,

Quam

Consensu & Autoritate Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Illustri Salana,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atque Experientissimo,

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Medic. Doct. ac Theoretices Profess. Publ. celeberrimo, Medico Ducali Saxon. fidelissimo, S. R. I. Acad. Natur. Curios. Collegâ primario,

Dno Præceptore, Patrono, Promotore atque Evergetâ summâ pietate devenerando,

Publico eruditorum examini submittit

RESPONDENS

DAVID DE FOUR Hanoviens.

Ad diem Decembr. Anno M DC LXXV.

H. L. C.

JENÆ,

TYPIS SAMUELIS KREBSI.



PROOEMIUM.



Tumultum obortum vel rebellionem facile est coërcere, si caput ejus seu fax & tuba, ut dici solet, tollatur è medio; In microcosmo si rebelles humores, quasvis turbas in singulis culinis viscerum excitantes, sustuleris, pacata omnia in torulis suis commeant.

Illic non solæ persuasiones, blanditiæ vel poppismi valent, noxium ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur. Hic non sola alterantia rem absolvere norunt, sed evacuandum sæpe est, ut parte exhaustâ noxiâ potiori debellari reliqua magis queant.

Non raro aluntur tumultus negligentiâ, non raro irritantur magis animi strictâ coërcendi potentiâ. In corpore nostro negligere latitantes errones, vel crabrones quasi irritare non consultum. Utrobique prudentiâ opus est, ut in republicâ pax sit & quies. Digna itaque consideratione rati sumus, & in proscenium adducere, quæ circa adhibitionem purgantium felicem observanda sint, quæ omittenda; Hæc ut benè eveniant, Deum oramus.

CAPUT I.

De Indicantibus purgationem.



Non levis res est, movere alvum. Tonsor, agyrta, anus fortissimum purgans exhibere norunt, sed quomodo, quando, quibus, hoc opus, hic labor est, unde

Veronæ olim in publico foro ſuſpenſa fuit tabula, elenchum medicorum iſtorum continens, quibus ſolis authoritate magiſtratus liceret purgans præſcribere.

Latiſſimâ ſignificatione purgantia ſive καθαρτικὰ audiunt, quæcunque humores è corpore educunt, ſeu univerſalia, ſeu particularia, v.g. per alvum, vomitum, ⊡am, ſudores, uterum, nares, per diuretica, diaphoretica, emmenagoga, errhina, &c. unde & apud Hippocr. κενώσεως vox quàm latiſſimè patet, & pro ipſa etiam V. S. accipitur.

Latè pro eo, quod per alvum & vomitum ἄνω καὶ κάτω ſolùm evacuat, cùm inteſtina & ventriculus ſint cauſæ ſociæ. *Strictè* verò, quod tantùm per alvum humores educit, ſive leniendo tantùm & lubricaudo, ſeu, quæ propria eſt ſignificatio, irritando magis vel minus id præſtet.

INDICANS purgantis eſt uno verbo CACOCHYMIA, ſive humores, iique non boni, ſed vitioſi, ſive cacochymici, hinc ſanguis ipſe per remedia, ſi qua dantur, non evacuandus eſt; hinc ubicunque boni & laudabiles etiam ſucci educuntur, ut in hypercatharſi, ſiſtendi ſunt; Hinc humores hi à *Galeno* dicuntur qualitate peccantes *1. aph. com. 2.* ubi purgationem definit, κάθαρσις, *ait*, ἐστὶ κένωσις τῶν κατὰ ποιότητα μοχθηρῶν χυμῶν, *purgatio eſt evacuatio humorum qualitate peccantium*.

Per qualitates intelliguntur tum primæ, tum ſecundæ, quando ſcil. humores iſti peccant caliditate, frigiditate vel intemperie quacunque, quæ neque arte, neque natura corrigi poteſt & ad bonam frugem reduci, ſive ſint exerementitii naturales, humor pancreaticus, bilioſus, vel abundantes, vel alienam qualitatem induentes; ſive præternaturales, bilioſi, pituitoſi, ſeroſi, melancholici & atrabilarii, quod uſitato nomine vocant cacochymiam, quæ verum & genuinum eſt purgationis indicans.

Hæc ſi in primis viis hæreat, indicat purgantia leniora, ſeu ſolùm emollientia, & ἐκκοπρωτικὰ magis; ſi ultra primam regionem, validiora eaque propriè ita dicta; ſi in remotioribus partibus, validiſſima.

Notandum verò eſt, quod cacochymia ſit abundantia humo-

humorum vitioſorum, adeoque licet hi humores vitioſi in quacunque etiam quantitate adſint, præternaturales ſuo modo ſint, attamen tunc demum indicat purgationem, quando ſimul copiâ peccat~.

Hinc evacuatio ſuperfluitatum, quæ fit per purgantia, valdè indigentibus & ex longo tempore utilis eſt (locus eſt *Galeni* apud *Hoffm. in M.O.p.9.*) earum verò quæ quotidiè generantur in corpore, minor eſt medicamenti efficaciâ; quod ſi, *addit*, voluerit quiſpiam bis in menſe vacuatione uti, veritus, ne excrementorum multitudo cumuletur, præter id, quod nocebit, trahet corpus in malum habitum~.

Quantum verò peccare poſſint humores pituitoſi, bilioſi, ſeroſi &c. & in quam variis morbis occurrant, notiſſimum eſt; & in vaſtum elaberemur campum, ſi eadem vitia & producta cacochymiæ recenſere velimus. In ſynopſi v.g. *pituita* abundans & putreſcens producit inappetentiam, dolorem gravativum, febres intermittentes, maximè quotidinas, obſtructiones vaſorum lacteorum, & alia. Et inter alia ſanè humorum pituitoſorum repletio, ut & vitia infimi ventris, alvi pigrities & ſimilia purgationem inprimis indicant. *Bilis* morbos calidos, tertianam, ſcabiem, pruritum, dyſenteriam, nimios menſium & hæmorrhoidum fluxus. *Melancholia* obſtructiones viſcerum, quartanam, ſcorbutum, icterum &c. *ſeroſi tumores*, vitia cutanea~.

Singula verò hæc non abſtractivè ſunt intelligenda, ſed cum *ἀκρέτησι* ſuis & energiis, hinc optimè illi faciunt, qui nec ſolis hiſce humoribus, ut talibus, immorantur & intenti ſunt, ut veteres *Galenici*, nec tantùm principia ⊖ina, ☿lia, 🜍ea, uti *Chimici* ſubſtituunt, ſed utraque jungunt. Reverà enim admittendi ſunt humores, ſed ſimul principia ⊖lina & 🜍ea in iis reſtagnantia. 🜍rus, ⊖ia lixiva, ⊕ta, ⊖ſa, ○noſa & volatilia ⊖li✱co affinia, ſæpè 🜍eis partibus mixta manifeſtè apparent in arthritide, ſcorbuto, ſcabie, cancro &c. Imò interdum & vomitus acido, pontico, ⊕to, ⊖ſo ſapore præditi in praxi occurrunt~.

Quando ergo Medicus talia in corpore deprehendit indican-

dicantia, purgante opus esse facilè invenit & ratiocinatur. Neque obstat, quod *Helmontius* infamiæ notam purgantibus non levem affricare satagit, cum *libro de potest. med. n. 33. in dispens. n. 38.* & alibi, ea venena vocat, quæ habitum corporis vertunt in putrilaginem, neque solùm δραστικὰ, scammonium, colocynthidem, euphorbium, elaterium, esulam, quæ manifestè venena vocat *dispens. l. c.* sed etiam in aloë, rhabarbaro, senâ, agarico, imò in ipsâ mannâ mitigata, adeoque imposturæ minus obvia venena latitare asserit.

Alia etiam speciosa argumenta *l. de febb.* & exempla, quoque *l. c.* adducit, verùm ne longius his immoremur, abusus non tollit usum. Verum est illud *Galeni*, nihil tàm magnificè prodest, quod non aliquâ ex parte noceat, & juxta vulgatum illud: Φάρμακα sunt φθαρτικὰ, depopulantur aliquid de calido innato. Verum si vitiosa abundet congeries humorum, seu cacochymia, utique conveniunt. Sint etiam quædam noxia vehementia, illa corrigenda, &, ut omnia, providè & cautè solùm adhibenda sunt.

Curare quidam volunt solùm præcipitantibus, quæ differunt à purgantibus in hoc, quod præcipitent materiam bonam cum malâ. Hinc observatum est sæpius, post pulveres præcipitantes, vitiosis humoribus in corpore copiosis existentibus, neque prius eductis, successisse febrem ardentem, ab opiatis noxam, &c. ideoque rectè *B. Schenck. tr. de humor. c. 25. p. 163.* Purgantia, *scribit*, optima esse præcipitantia, quæ & segregant, fundunt, præcipitant, & educunt unà vitiosam materiam. Verum est, fermentatio παρὰ φύσιν inhibenda & sistenda, κατὰ φύσιν juvanda & promovenda, sed nisi tollatur sæpè superfluum peccans, vix feliciter obtinemus finem. Ut igitur V. S. non carere possumus omninò in plethorâ, ita nec purgantibus in cacochymiâ.

Notandum hoc loco est curiosum assertum de indicatione seu intentione purgantium secundariâ; uti enim *primaria* est evacuare, ita *secundaria* est reliquorum medicamentorum vim incidendi suâ vi juvare, quam in rem elegantissimus extat locus apud *Martianum, comm. in l. 2. de morb. s. 2. vers.*

214.

214.p.176. purgantia, *ait*, sæpe aliis adduntur medicamentis, non ut purgent, sed ut aliorum medicamentorum virtus attenuans intendatur, quod probat ex *Hippocrate*, medicamenta enim hæc, *addit*, (ut longo experimento mihi notum est, si in minori quantitate, quam pro purgatione usurpari solent, aperientibus medicamentis permisceantur, ita ut virtus aperientium prævaleat, nullo modo alvum movent, imò eorum virtus, quia maximæ est activitatis, ad vias sudoris, aut urinæ aperientium facultate conversâ, horum vim adeò intendit, ut medicamentum evadat, tum ad aperiendum, tum ad sudorem aut urinam movendam efficacissimum.

Exempla talismodi purgantium usus inprimis videre licet apud *Gesnerum in epistolis*, ubi helleborata medicamenta aliis, inprimis aperientibus & pectoralibus addit. Sic & ubi per ἐπίκρασιν purgandum est, permiscentur cum alterantibus optimo cum consilio. Valet v.g. id magis in infusis, decoctis, sirupis compositis, ℞tis, quàm pulveribus. Exemplum hujus rei quoque apparet in topicis auricalibus.

CAPUT II.

Permittentia & prohibentia purgationem scrutatur.

PErmittentia purgantium maximè consideranda sunt, & quidem 1. *robur naturæ*, sive vires totius; ubi enim depauperatæ sunt eædem, vel omittenda sunt eadem, vel lenientibus tantum res expedienda; absurdum enim foret debili naturæ & afflictæ adhuc majorem addere afflictionem, undè etiam, quod *Plato* scribit, magni auxilii purgationem à viro sanæ mentis suscipiendam non esse, nisi summâ urgente necessitate, id longè potius ad virium qualitatem & dispositionem referimus. Hinc etiam convalescentes à morbo, puerperæ, & aliæ debiles personæ non temerè purgandæ fortius.

Neque etiam solùm præsentes spectandæ sunt vires, quod de V.S. quoque valere suo loco diximus, sed & futuræ, unde sæpies observavimus à purgantibus fortioribus tabem,

atro-

atrophiam, debilitatem, imò ipſius phthiſeos metum ortum, ægrè fugabilem.

2. *Robur ventriculi.* Qui inteſtina habent ſicca, & ſtomachum robuſtum ac fortem, non facilè moventur, ſed fortioribus egent; qui verò debiliori gaudent, &, ſi loqui ita licet, ferè papyraceo, qui facilè à quovis difficilioris coctionis læduntur, vel minimo egent. Et ut illi inſtar ſtruthionum omnia quaſi purgantia innoxiè devorant; ita hi infantibus contrà levius ſunt aggrediendi, & hinc eſt quod Saxones & Weſtphali, gregarii item, mechanici & qui fortius laborant, difficulter ſunt mobiles, quia victui ſunt adſueti duriori, & conſequenter etiam ſtomacho robuſtiori gaudent, tum etiam quia laboribus humores abſumuntur. *Meiſſoner. tr. de febb.* & *Highmor.* id referunt ad aſperitatem tunicæ inteſtinorum, quod quidam tam duriter mobiles ſunt purgantibus, & id rectè quidem, robur enim ventriculi tum temperie, tum juſta conformatione & ſtructurâ gaudet.

3. *Ætas.* Sunt equidem, qui infantibus vix audent dare purgantia ob teneritatem & debilitatem corporis, unde & *Hippocrates* & alii præcipiunt, nutrici dandum eſſe purgans, ſi infans purgandus, vel capræ devorandas præbent herbas purgantes & lac poſtmodum propinant. Verùm uti non negandum eſt, hoc modo purgari infantes, communicatâ purgandi efficaciâ cum chylo, ſanguine & conſequenter lacte, ut & quidam per coitum purgandi vim cum aliis communicaſſe leguntur. vid. *Platerum*; Ita obſervavimus in praxi, 1. quod infantes etiam 2. 3. dierum commodiſſimè ferant purgantia mitiora, v. g. mechoacannam & galapium, expurgatur inde meconium, pituita item conglobata & viſcida, ex lactis caſeatione v. g. reſultans, tormina ipſis ſæpè exhibens immania, 2. quod infantes, proportione ad alias ætates habitâ & reſpectivè fortiori egeant doſi, quia calidum ipſorum eſt robuſtius, & humiditate copioſâ & eâ quidem miti ac blandâ, quâ pollent, purgandi & irritandi vis ferè obtunditur & diluitur. 3. vidimus cum miraculo quaſi, quod aſſumto purgante tali, reſinoſo v. g. conquieverint iidem & obdormiverint ſæpè non aliter,

aliter, ac si opiatum sumsissent, etiam prius, quam ipsum operatum fuerit per sedes, quod ipsum quoque quandoque à cinnabarinis notavimus. Hinc adeò lubentius exhibemus purgans, sed proportionatum ipsi infanti, quàm nutrici, sæpè enim non nisi refractè operatur.

Senes bis pueri sunt, ut quoad vires, ita etiam quoad purgantia, præcipuè cum abundant excrementitiâ, serosâ, acri humiditate: cautius tamen, nec sæpius & infantes & senes tractandi. Illi, quia exsiccando humiditatem huic ætati debitam auferunt purgantia frequentius adhibita, & consequenter nutritionis & accretionis operam impediunt; hi, quia facile exsolvuntur & absumpto itidem quod restat roscidi humidi, citius ad tumulum promoventur. *Media* verò *ætas*, relata scil. ad alias, melius eadem tolerat, nam ad individuum relatione factâ, sæpè ad infantis instar tractandi sunt quidam.

4. *Temperamentum* quod attinet, duo notanda: (1.) *dependet agendi purgantium vis*, præter ventriculi dispositionem, *à seri in corpore præsentiâ & quantitate majori vel minori*, hoc quippe fluxile est, & actuat tum alia, tum hæc medicamenta, estque vehiculum ut alimenti, ita & medicamenti. Hinc humidior & laxior ventriculus & intestina facilius irritantur; Hinc qui excrementitii, acribus & serosis præsertim, humoribus abundant, levi stimulo etiam concitantur, habent enim jam stimulum irritantem salinum secum.

Hinc patet, cur hypochondriaci in hoc ad utrumque extremum declinent, vel enim adstrictâ gaudent alvo & immorigerâ, purgantibus non facilè mobili, non tam ob acidum solùm, quàm ob siccitatem sive actu, sive potentiâ talem, verbo, serum minus abundans, unde humectantia potius, quàm fortiora pellentia & irritantia danda, neque sine illis tunc facilis sequitur effectus; vel facillimè omnium moventur, si citra siccitatem humido gaudeant magis, salino stimulo acuato. Unde novimus quosdam extremè hypochondriacos, qui à gr. vj. gialapii plus moventur, quam alii à ʒj. seu qui tam levi egent purgante, quantum vel infans.

2. *Omnia purgantia calida sunt*, hinc siccioribus minus con-

 veniunt,

veniunt, nisi humectantia; hinc læduntur hi maximè à purgantibus fortioribus, ablato sero, ultra quàm ferre possit natura; hinc sicciores qui sunt, nec fortissimis sæpè moventur, quæ ideò & frustrà illis dantur, nisi humectantia admisceantur, & dato frustrà uno, frustrà sæpè superingeritur, ut clavus clavo, alterum.

Referenda huc etiam est ἰδιοσυγκρασία quorundam, ceu observarunt autores, ab odore rosæ, à solo aspectu assumptorum purgantium, & aliis alvum copiosè solutam. Observatum etiam est, nobilem Romanum ab assumto sir. rosar. solut. eodem die obiisse, & *Scaliger* refert, Mediolani familiam quandam cassiæ haustu periisse.

5. *Habitus corporis* ergò cur carnosus & succiplenus utplurimùm optimè ferat purgantia, & eo gaudentes facillimè moveantur, ex dictis jam patet. Graciles verò cum sicci sint, difficilius ea ferunt; pollent enim hi acrimoniâ biliosâ, unde purgante exhausto sero, & stimulo addito pejus habent. In habitu ergò corporis gracili, tenui & laxo, humores sunt tenues, spiritusque facilè dissipabiles, ac virtus proinde languidior, undè tales cautè purgandi sunt. Etsi enim promptè satis purgantur, tamen ex minimâ causâ facilè extenuantur, & rarefiunt magis, quamobrem facilè in hoc peccant medici. Hinc qui rarioris texturæ sunt, lenissimè purgandi.

Εὔσαρκοι verò facilè quidem, ut diximus, purgantur, & benè id ferunt; qui tamen valdè pingui sunt corpore, cum frigidiores sint, spiritus pauciores & torpidiores habeant, vasa item angusta, difficilius quandoque purgantur, ut plurimùm tamen facillimè.

6. Pertinet huc quoque *consuetudo*, cui etiam hîc aliquid condonandum. Etsi enim in iis, qui nunquam purgati sunt, ideò purgatione abstinendum non sit, cautius tamen purgantia iis adhibenda sunt, & circumspectiùs. Audaciùs verò eos tractare licet, qui purgationibus adsueti sunt. Observanda etiam est naturarum proprietas, præcipuè in materia medicamenti eligendâ. Alii enim à mitioribus etiam medicamentis facillimè & copiosissimè purgantur, alios verò fortiora vix movent.

movent. Sic aliqui planè nonullas purgationis materias averſantur, hic pilulas, alter pulveres, tertius potiones, alias verò facillimè ferunt.

Quidam penitus abhorrent ab omni pharmaco, ceu refert *Salmuth*, fœminam quandam, quoties purgari vellet, pilulas ancillæ deglutiendas dediſſe, unde ipſa nihilominus, quod ſolùm aſpiceret, fortiter purgata fuerit. Cautiùs etiam ea temperamenta ſunt purganda, qui ſæpius diarrhœâ vel fluxu alvi alio laborant. Hinc præcipuè medicus non cogat ægrum ad purgans, & ſi referat, quàm mobilis ille ſit, quàm leviter tractandus, teſtimonium hoc domeſticum non aſpernetur, turpe enim hinc ut Imperatori, ita etiam Medico eſt dicere: NON PUTARAM.

7. Etiam memoranda eſt *humorum ſequacitas*, ſeu diſpoſitio; cocti enim purgari deſiderant, intellige morbifici, non crudi. *1. aph. 22.*

Humores ſcil. hi ſunt crudi, vel cocti, vel neutri. *Crudi* ſunt, qui nondum à naturâ victi, aut ad optimam, quam quidem recipere poſſunt, formam deducti, nec per excrementa, v. g. urinam coctionis ſuæ, πεπασμȣ̃, præbent indicia, ſi urina ſit albicans, tenuis &c. Notandum verò, quod crudi hi humores intelligantur maximè, qui ultra primam corporis regionem ſtabulantur.

Cocti ſunt, qui jam per maturationem quandam à natura (coctio enim non eſt opus morbi, ſed naturæ) victi ſunt atque domiti, quique vitioſas ſuas qualitates depoſuerunt, mitiores redditi, & ad expulſionem aptiores, ſeparati quippe, & per excrementa coctionis indicia exhibent.

Neutri ſunt, qui neque crudi neque cocti perfectè, diſpoſitionem tamen habent, ut trahenti medicamento facilè obſequantur, ſuique notas per urinam exhibent quoque. Valet id maximè de febribus, ubi doctrina de coctione & cruditate inprimis attendenda.

Crudi tamen etiam purgandi ſunt, dicente *Coo l. c.* ſi turgeant, id eſt, ſi materia planè ſit inutilis, aliena à natura ſanguinis, quæ non poteſt ſubigi, adeoque nullam requirit

præparationem, ſi qualitati vitioſæ, acri, calidæ & bilioſæ, & quantitati abundanti, accedat motus, nihil enim paucum turget.)

Nota tamen (1.) ſi copioſi adſint humores, etiam crudi, licet non turgeant, non exſpectata coctione, in principio etiam licet purgare, ſed lenientibus tantùm, quod vocant minorare, minorativam purgationem.

(2.) Notandi etiam ſunt gradus coctionis & cruditatis; ſi enim cruditas non conſiſtat in extremo, purgare licet, prout coctio vel inchoata ſolùm, vel magis promota, vel perfecta & abſoluta eſt, illo caſu lenioribus, hoc fortioribus.

(6.) Hinc, ſi vires adſint, ſi urinæ ſint nebuloſæ & craſſæ, ſi humores vitioſi in ventriculo, inteſtinis, venis lacteis, meſenterio, aliisque viſceribus jam ſeparati, illi certè levi vel nullâ egent coctione, & ſtatim in principio purgari queunt.

8. Denique quoad *ſexum*, reſpectu virorum, *fœminæ* facilius purgantur ut plurimùm, quia & feroſiores & rarioris ſunt texturæ, cavendum tamen rectè præcipit *Kyperus* in mulieribus à purgantibus dulcibus, item craſſis aut pingibus, etiam à longis potionibus, quia exinde ſæpè incurrunt vomitum & conſequenter uteri ſuffocationem.

Quoad *gravidas* in ſpecie, ſi quæritur, an illæ purgandæ ſint, elogium eſt *Hipp. 4. aph. 1.* prægnantes purgabis, ſi materia turgeat, quadrimeſtres, & usque ad ſeptimum menſem, ſed has parcius; minore verò aut grandiori conceptu abſtinebis.

Plures obſtant rationes pro negativâ: 1. cùm natura à purgante irritata inſurgat ad expellendum & pharmacum & humores noxios, facile etiam hic naturæ conatus ad uterum pervenire poteſt, atque inde fieri, ut niſi fortius jam alligatus ſit & hæret fœtus, & ipſe unà extrudatur.

2. Hoc modo, *alii* addunt, fœtui ſubtrahi alimentum, uterum ab ingenti ſpirituum & humorum evacuatione turbari, acetabula disſolvi, retentricem labefactari & ſic abortum ſequi.

3. Periculum etiam eſt, ne ab aſſumpto purgante evacuatio

tio copiosius sequatur, ab eâ verò abortus, cùm intestina consensum cum utero habeant maximum, & tenesmus, dejiciendique frequentia, teste *Hippocrate*, abortum concitet.

4. Musculi comprimentes in expulsione fecum simul comprimunt uterum & sic multis modis potest fieri abortus, uno verbo, abortum concitari à purgantibus posse, objicitur potissimum.

Omnes tamen hæ rationes possunt eludi unicâ distinctione; aut enim adest dispositio ad abortum in fœminâ gravidâ, aut non; si illud, verum est, vel cautissimè adhibenda, & lenissima, vel planè eadem esse intermittenda. Si hoc, tutò easdem purgare licet, vix enim mente concipi, nedum fando dici potest, quantum robur naturæ sit in gravidis. Hinc postquam vidimus in dysenteriâ epidemiâ, quæ ante 6. circiter annos Thuringiam nostram infestabat, plures gravidas dysenteriâ verâ correptas, licet torminibus immanibus vexarentur, & ultra 50. 60. sedes, incredibile dictu, intra ☍ experirentur, evasisse tamen, neque vel mortuam ullam vel abortum passam: statuimus tutò purgari posse, quæ non ad abortum dispositionem vel inclinationem habent. Et experientiâ notum est, meretrices fortissima etiam purgantia frustrà sumere, nullo abortu subsequente, quem intendebant.

Not. ergo in gravidis considerandum 1. robur uteri, an ad abortum prona, an ligamenta uteri firma, an facilè purgantibus moveantur.

2. semper tamen vitatis nimis fortibus & δραστικοῖς mitiora danda, qualia sunt *rhabarb. cass. myrobal. manna, tamarindi, mechoacanna* & *gialap.* etiam ipsa, *succus rosarum* ut & *fl. persicor. infusio.*

3. quoad tempus, quartus, quintus & sextus mensis, ad septimum usque, exclusivè aptissimùm est tempus, primis enim imbecilliora, ultimis autem mensibus à fœtu jam grandiore facilè rumpuntur ligamenta uteri, accedente irritatione, hinc intendit quasi Hippocrates, non anteà purgandam gravidam, quàm fœtus moveri cœperit, quia quando moveri incipit, tunc vincula robusta sunt.

4. turgente materia seu inutili & copiosâ existente commodè dantur; hoc modo quartanarias gravidas feliciter & citra ullam noxam purgavimus.

5. Uterus hinc roborari potest, tum externis odoriferis, vel aliis abdomini appropriatis, tum internis temperatis.

Nutrices ipsæ verò commodè purgari observentur in praxi, solemus autem præcipere, nisi intentio sit ipsum infantem simul purgare, ut prius mamma præbeatur infanti, quàm assumat medicamentum.

Puerperis non nisi benedicta conveniunt, infusa uterum simul purgantia, nisi urgens causa adsit, v.g. hydrops simul cum fœtu præsens, quo casu, licet cum deperditione lactis, quod hinc perit, in tempore tunc purgandum est.

Sic etiam hic not. si intestina sunt erosa vel jamdum irritata, si prolabantur ob paralysin, non danda purgantia.

Prohibentia & contraindicantia sunt eadem, si secus habent. An ergò sit purgandum, ut suprà jam diximus, cacochymiæ præsentia declarat. Quod enim indicat, indicationis executionem indicat & urget.

Caput III.

Differentiæ purgantium recensentur.

MAteria & operatio remedii hujus non est uniusmodi, sed differt 1. *ratione virium*; alia enim purgantia sunt *mitiora, mediocria, fortiora*, ubi not. de divisione istâ in purgantia moderata & fortia, illam non inveniri apud *Hippocratem*, crevit autem maximè post inventa purgantia, inprimis apud *Arabes*, qui intensionem & remissionem inquisiverunt medicamentorum. Ab effectu igitur hoc, ac partium distantiâ vel vicinitate, rectè ita eadem diviserunt.

2. *ratione usus*, alia sunt *interna*, alia *externa*, quæ vel umbilico vel plantis pedum applicata purgâsse leguntur, vid. *Rolf. O. & M.* ita & *Smetius* in *miscellaneis l.3.p.163.* refert de odore, matronam quandam cum in pharmacopolium ingressa esset,

esset, solo odore talium pharmacorum purgatam esse. Sic unguentum de athanitâ & alia externè hunc in finem solent adhiberi.

3. *ratione compositionis*, alia sunt *simplicia*, rhabarbarum, gialapa, alia *composita*, spec. diagalap. extr. cathol.

4. *ratione consistentiæ*, alia sunt *liquida*, ut potiones, decocta, senæ, rhabarb. &c. alia *solida*, ut pilulæ, aliæ alio modo se habent, de quibus in sequentibus fusius.

5. *ratione originis*, alia sunt *vegetabilia*, alia *mineralia*, alia *animalia*, licet hæc ferrè impropriè, & minus usitatè.

6. *ratione humorum* quos purgant, ubi alia *cholagoga*, seu bilem ducentia, ut rhabarb. alia *plegmagoga*, ut agar. alia *melanagoga*, ut hellebor. alia *hydragoga*, ut g.g. alia *mixta*, ut galap. alia *catholica* sive panchymagoga, ubi not. 1. hæc propriè dici electivè purgantia, quæ scil. ad bilem, pituitam, melancholiam electa quasi & destinata sunt.

2. Catholica purgantia duplici modo dicuntur, (α) quæ indistinctè humores purgant omnes, non unum, sed plures unâ vice promiscuè, qualia in specie sunt ♁ialia & ☿ialia, unde viridia & flava confusim evacuantur.

(β) Dicuntur etiam illa, quæ non per unum locum ordinariè, sed per varia loca evacuationi dicata operantur. Sic ♁ modò per vomitum (non solùm alvum) per urinam, per sudorem purgat, unde si hic vel ille practicus dicatur habere medicamentum tale, ex ♁io id constare credas.

Quær. autem, an dentur à totâ substantiâ & similitudine, qualem *Galenus* vocat magneticam, ut scil. magnes ferrum, ita trahat rhabarb. bilem, seu à formâ substantiali purgantia medicamenta, vel quod idem est, *an dentur electivè purgantia?* Veteres id affirmant, idque demonstrarunt non aliter, quàm à posteriori. Sic quando *Galen. l. de ther. ad Pison. c. 5.* contra Bythinum Medicum disputat, scribit, ipsum attendere debuisse ad excreta; quando enim exhibeo v. g. rhabarbarum in ictero, tunc observatur, unum hoc medicamentum magis purgare materiam morbificam, quàm aliud, & icterum inde cessare. Si rhabarb. do, flavent excrementa, si agaricum, magis

gis

gis pituitosa sunt; neque obstat flavedo, quam secum gerit, rhabarbarum, gummi guttæ enim si detur, quod adhuc flavius est, flavedo in fecibus non apparebit, quia est hydragogum, à galapio serosa materia magis apparet. Sequitur ergò ex his, cùm icterus à rhabarb. tollatur, magis id hanc materiam evacuare quàm aliam; & si non indifferenter uno medicamento omnes humores purgantur, consequens est, dari medicamentum tale appropriatum.

Recentiores, *Walæus*, *Swalbius*, & qui fermentationem magis æstimant, negant hoc opus esse, sed sufficere 1. fermentationem, quæ omnia sursum deorsum moveat. 2. adeoque quidni à medicamento bilioso etiam alii humores purgentur? Respondent ad utrumque alii 1. natura etiam sæpè purgat non mota à medicamento, sed inde non sequitur, ergò non dantur medicamenta, ad 2. dicunt, distinguendum esse inter purgationes & hypercatharses, illæ enim non tam sunt medicamenti, seu non fiunt tam propriâ naturâ ejusdem, quàm naturæ irritatæ. Notare hanc in rem ab experientiâ practicâ placet,

1. Omnia purgantia in genere convenire, quatenus enim purgant, necesse est dari tertium aliquod, in quo conveniant, atque hoc est irritatio.

2. In specie verò non item, sed multis modis esse diversa, alia magis sunt amara, rhabarb. aloë, colocynth. sena; alia solùm acria, scammonium, galap. g.g. alia planè insipida, inodora, ut ☿ialia, alia tenuium magis, alia crassiorum partium.

3. Non eosdem peccare humores semper in morbis, sed modò tenues, biliosos, acres, modò tenaces, crassos, viscidos, acidos, austeros.

4. Non omnia æque omnibus, sed alia aliis magis, aliis minus ex usu esse.

5. Utut enim omnia purgent, quatenus irritant, non implicat tamen id, quò minus hunc magis, illum minus purgent, seu medicamentum, v. g. quod melanagogum est, ut sena, etiam pituitosum humorem purgare potest; ideoque

6. eo sensu, ut unum solum & semper purgent humorem,

non

non concedi possunt electivè purgantia, certum tamen hoc, quod alia primariò, v.g. magis bilem, secundariò pituitam magis purgent.

Differentia etiam notanda est ratione *regionum corporis.* Veteres enim purgantia quædam purgare primam corporis regionem, ventriculum, intestina, ad gibbam usque hepatis partem; quædam secundam, hepatis partem cavam, venam cavam cum suis propaginibus; quædam tertiam seu ad habitum corporis reliquum. Licet verò hæc differentia adeò locum non habeat, nihilominus tamen gradus exprimit, & juxta *Walæum* aliter id explicari commodius potest *p.29. M.M.* ut prima regio seu primæ viæ, sint ventriculus, intestina, cum vasis in & circa eadem, mesenterium, pancreas; secunda in vasis ipsis, ubi sanguis circulatur; tertia, ubi extravasatus est.

CAPUT IV.

Tempus purgantium perpendit.

UT in V.S. & aliis medicamentis duplex est tempus, vel *necessitatis*, vel *electionis*, ita id ipsum etiam h.l. valet. Deinde enim tempus aliud est *curationis*, aliud *præservationis*. In præservationis à morbis statu respiciendum est ad tempus anni, mensis ac diei.

Anni respectu, quando purgatio conveniat, docuit *Hippocrates 6. aph. 47.* quibus V.S. aut purgatio prodest, his vere secanda vena, aut purgatio imperanda est. Post hoc ipsum tempus autumnale quoque valet. Vernum enim tempus duplici de causa potissimum ad purgationem commodum est, tum quia humores tunc magis sunt sequaces, qui prius erant torpidi, jam in motu sunt, & à natura magis secreti, tum quia, qui imminent corpori morbi, verno maximè & autumnali tempore erumpere consueverunt, unde qui v.gr. podagricos insultus, affectus hypochondriaci symptomata ordinaria graviora, & alia antevertere vult, maturè id verno vel autumnali tempore faciat oportet, quâ ratione eadem feliciter præcavimus, & antevertimus sæpius.

Deinde

Deinde etiam vernum & autumnale tempus purgationi aptissimum est ob temperatam qualitatem aëris, calidus enim æstivus caloris in corpore dissolutionem facit, frigus verò humorum concretionem, unde calidissimo & frigidissimo, aëris statu purgare non temerè solemus, ob facilem corporis in præternaturalem statum alterationem.

Non tamen omne veris tempus temperatum est, interdum enim in nostris regionibus principium ejus adhuc nivibus scatet, interdum etiam in medio adhuc frigus durat. Eligendus itaque vel finis, qui plerumque temperatus, vel ea pars, quæ ex positu astrorum ad temperiem magis inclinat.

Aptum est hoc tempus ad præservationem non solùm, sed & curationem, unde observavimus puellas, quibus menses movendi sunt, quorum absentia negotium facessit hactenus, optimè id fieri vere, in casu tamen necessitatis quodvis tempus veris & aliud est accommodum.

Autumnus post ver primas obtinet. Si tamen æstas præcesserit sicca & nimis calida, exspectandum, donec aër alteretur. In autumno, ait *Mercatus*, consultissimum est, ne ante pluviæ descensum vacuationem aggrediamur, ut deponatur humorum cruditas & meatus purgatorii laxantur.

Hinc & principio æstatis, item hyeme, ubi aër quidem non nimis frigidus, purgare licet. Cavendum tamen, ut purgationem instituamus 1. *circa solstitia*, quæ cadunt in 10. vel 13. Decembr. 10. vel 13. Jun. Tempore scil. solstitiorum non benè sumuntur medicamenta.

2. *circa æquinoctia*, quæ cadunt in 10. vel 13. Martii, & in 10. vel 13. Septembris. Eo enim tempore non satis tutum, ut humores in corpore moveantur & turbentur.

3. *diebus canicularibus*, juxta *4. aph. 5.* ubi, sub cane & ante canem, ait *Cous*, difficiles sunt purgationes. Fit hoc ab aëris caliditatem & siccitatem, humores evocantem foràs, & turbantem, purgans verò in contrarium. Cautè igitur eo tempore purgandum. Refert tria exempla *Riverius cent. 3. obs. 5.* ardente sirio tres puerulos duorum aut trium annorum à medicis blandis purgatos medicamentis eodem die convul-

sos

ſos periiſſe, quorum duo catarrho in pectus prolabente, tertius dyſenteriâ laborabat. Si tamen aëris ſtatus etiam nonnihil eo tempore temperatus, ut ſæpius evenire ſolet, & ubi neceſſitas urget, purgare omninò licet, quod ſæpius ſine omni noxâ, quin cum commodo potius fecimus, in iis præſertim, qui non laborarunt febre, corpus tamen plenum vitioſis humoribus habuerunt.

Utut verò in noſtro climate caniculares non omnem reſpuant purgationem, neque tam religioſè, ut in Græciâ attendendi ſint; licet etiam tempore neceſſitatis minus curari cœlum debeat, nihilominus tamen non ſusque deque habenda eſt etiam aſtrorum in hoc ipſo obſervatio. Neglexit quidem hæc penitus *Franciſcus Bencius*, Hugonis Senenſis, qui ſcriptis inclaruit, filius, autore *Monardo l. 2. ep. 1.* & nihil unquam cœleſte obſervavit, ſed quoties occaſio urgebat, promiſcuè & venæ ſectionem & purgationem inſtituebat, magis curans lotium, quàm aſtrum, magis pulſus, quàm ſtellarum configurationem, vid. *Rolf. l. de febb. c. 85. p. 286.* aſt verbo, non timenda ſunt aſtra, neque tamen penitus negligenda.

Ratione *menſis* ac *diei* videndum eſt porrò ad aſpectus ☽æ potiſſimum, hinc & ☉is. Equidem, cùm purgantia omnia calida ſint & corpus exſiccent, ſolemus præcipuè eligere ſigna aërea & humida ſeu aquea, v.g. ♋, ♏, ♒ ♓ & ♊: vitare autem ſicca, inprimis ignea, ♈, ♐, ♌. Deinde quoad ☽am ipſam, aliis novilunio magis purgari convenit, ut quando menſes movendi ſunt, aliis poſt plenilunium, ubi humorum abundantia adeſt.

Stratagema id eſt non vilipendendum, ut in puellis, quibus vel remoratur fluxus menſium, vel ſuppreſſus eſt, circa novilunium purgatio detur, tunc enim cum natura ſimul agit medicamentum, quæ exprimit cœlorum rhythmum. Cumque purgantia menſes ſimul cieant, cuneus cuneo hoc modo pellitur, ut facilius prodeant.

Quoad tempus enim ſpeciale plura problemata practica occurrunt, v.g. 1. *an durante fluxu menſium purgandum ſit.*

Dum puellam ſeu viduam purgare volumus, inquirendum

dum omninò est in tempus menstruæ ejusdem purgationis, ne eam ex minori malo in pejus præcipitemus, & motum naturæ turbemus. Si enim pro mensibus movendis instituitur purgatio, vel ante novilunium, vel instante tempore ordinario id faciendum est; sin minus, intermedio tempore.

Kozack libr. de ⊖*e p.200.* etiam in ipso fluxu purgare, *ait*, fœminam conducit, ut cum natura agat medicamentum, post decimum quartum diem verò, quando jam fluere desierunt, tantum clystere vel mitioribus esse agendum. Verùm cum purgatio per alvum, purgationi per uterum sit contraria, & altera alteram turbet, solemus utplurimùm cessare à medicamentis, durante illo ipso fluxu; Natura enim motibus diversis uno tempore non sufficit, unde nisi necessitas imperet, fluentibus lochiis & mensibus eadem omittuntur; clysteres tamen bono cum successu adhibuimus etiam fluentibus iisdem.

2. *An in paroxysmis,* v.g. *febrium intermittentium, purgandum sit,* ab utraque parte dubia occcurrunt.

Pro negativa enim 1. facit *1. aph. 19.* quibus per circuitus accessiones contingunt, nihil dato, neque cogito.

2. Motus sunt contrarii, in paroxysmo natura humorem peccantem ad peripheriam corporis expellere satagit, unde & semper ferè sudor finito paroxysmo sequi solet, adeoque qui purgans eo tempore dare vellet, naturæ conatum turbaret, unde eligendus videtur dies *ἀπυρεξίας*.

3. Hinc *Swalb. disq. therap. s.1. p.35.* paroxysmi febriles, *ait*, excludunt omninò purgationem, ab experientiâ, omnis enim purgatio succedente febri cessat, ejus autem cursu finito redintegratur. Hæc naturæ solertia est, declinat unius conflictum, ut alteri par sit. Observavimus ipsi hoc in tertianario, huic enim cum purgans datum esset, neque constaret, an eo die (erat verò in principio adhuc) venturus esset paroxysmus, inde purgari incepit tribus quatuorve sedibus, hinc verò cùm succederet paroxysmus cum horrore & calore, interpolabatur medicamenti actio ad 12. & amplius horas, per totum sc. paroxysmum, quô cùm defuncta esset natura, ite-

rum

sum purgari incipiebat, ad perfectam usque medicamenti actionem.

Nihilominus tamen, cùm experientia testetur hoc modo sæpius, non purgans modò non sufflaminatum, sed & febriles insultus coërcitos fuisse: hinc notandum est

1. in diuturnis febribus instante paroxysmo purgantia exhibita plurimum prodesse;

2. apparente aliquâ, paucâ licet, coctione, ante paroxysmum sæpè commodè dantur purgantia.

3. in robustis corporibus id interdum locum habet, & necessum sæpè est, cùm natura robusta sæpè sit, ut nisi dentur tempore paroxysmi, adeoque eadem nonnihil debilitetur, nihil agant. Exempla talia & observationes in hanc rem elegantissimæ videri possunt apud *Prosper. Alp. l. 4. de med. Ægypt. c. 15. Plater. l. 1. prax. p. 2. p. 163. Timæum in observ.* & inprimis *Craton. epist. 212.* ubi *Monavius p. 358.* se observasse ait longissimis febribus laborantes hoc modo multò citius quàm alios liberatos, ita tamen ut medicamenti operatio absolvatur prius, quàm paroxysmus invadat.

Ad hunc modum *Camillus de Camillis* nobilis & Medicus Genuensis pilulis suis de sagapeno principio paroxysmi adhibitis contumacissimas quartanas curavit, imò *Kozak l. c.* nil prodesse scribit purgantia, nisi ante paroxysmum dentur, cum natura tunc moveat materiam morbificam, cujus minister medicus eandem imitari debeat. vid. *Craton. l. c.*

4. si sint simul ≈tantia; sic aliquoties cum fructu dedimus pulverem Comitis de Warwick, quod optimum in febribus est purgans, quia ob vim diaphoreticam egregiè præcipitat, & cum galapio misceri potest.

Aliàs ordinariè eligitur dies *ἀπυρεξίας*, ubi Itali præsertim veteres tàm strictè observant quartum diem, ut eo saltim purgans detur, & contra methodum credant, si contra fiat, in quo, si diem tantum attendamus, falluntur, sin coctionem quandam, qualemqualem, verùm est, eò usque expectari posse.

In febribus ardentibus verò, præcipuè malignis, non solemus

lemus facilè dare purgans, nisi 1. statim in initio, si prægressi fuerint errores diætæ fortes, si cacochymia magna, & alia indicantia adsint, inde enim humores maligni magis exagitantur; & sæpè alvi fluxus, natura nimis stimulatâ, periculosi excitantur cum ægri pernicie. Lenientia quidem, clysteres, & alia mitiora, pilulæ aloëticæ, infusa lenitiva concedi queunt, sed fortiora non temerè. 2. sub declinationem, febri jam secedente, sæpè, ne recidivet, evacuatio necessario est; recollectis tamen penitus viribus.

Mane hora 6. & 7. jejuno ventriculo commodissimè adsumuntur electivè purgantia, ut natura commodè actioni vacare possit, neque aliis interturbetur, unde etiam totum purgationi ferè damus diem; extraordinariè tamen sæpè etiam ante cibum, vel vesperi dari possunt, quod urgente indicatione aliquoties cum fructu fecimus.

Opinio quorundam est, ante diem æstate assumenda purgantia, forsan ne æstus debilitatem adducat, cum purgantia per se nonnihil vires solvant, eo verò tempore frigidior paulo fit. Sed cum nostræ regiones tàm calidæ non sint, id non adeò observandum.

Caput V.

Quantitatem purgantium metitur, & lenientium mentionem facit.

Ex hactenus dictis facilè quantitas erui potest & determinari purgantium, idque tum à posteriori, tum à priori. Quærere enim hoc passu solemus, an aliàs jam purgârint, an facilè, vel difficulter, ægri enim experientiâ edocti, informare in hoc sæpè commodè possunt Medicum.

Possunt etiam quædam axiomata ceu porismata hanc in rem notari: 1. Semper subsistendum est infra summam dosin, præstat bis repetere, quàm semel malè rem gerere.

2. Quo major est copia vitiosorum humorum, eò etiam major purgantis debet esse dosis; quò minor, eò quoque parcior,

3. Qui

3. Qui facilè moventur tum naturâ, tum à medicamentis, mitius tractandi & contra.

4. Qui ventriculum habent debilem, minori quantitate, qui robustum, majori opus habent, hinc rustici, gregarii, milites, nautæ fortiora ferunt.

5. Qui strictioris sunt alvi, fortiora quidem postulant, non tamen sine mollientibus & humectantibus, unde non facilè in hypochondriacis & aliis siccioribus melancholicis, nisi præmissis humectantibus, & cum sufficienti quantitate liquidi corporis instituere solemus purgationem, hinc etiam illis quos difficilius mobiles videmus, cum decocto prunorum calido propinamus medicamentum.

6. Rarioris texturæ non fortioribus tentandi, ne in phthisin præcipitentur.

7. Ubi non licet unâ vice, simul & semel rem absolvere, partitis id tentandum, & successivè, quod per ἐπίκρασιν vocant, & utplurimum per infusa præstatur, id vero inprimis valet in chronicis, lentis, hypochondriacis affectibus, obstructionibus etiam, ut quod lentè & sensim congestum est, lentè etiam educatur.

8. Quò minor est naturæ sensus, eò fortiori purgante opus est, quò major, & quò magis ἀναίσθητος est ventriculus, & intestina, eò minori. Hinc in apoplexiâ & affectibus soporosis, ipsaque etiam epilepsiâ, tum clysteres debent esse fortiores, tum purgantia intrò sumta, siquidem ea dare consultum sit. Tacemus jam vires, consuetudinem & alia.

Terminus ergò perfectæ purgationis quisnam sit, si quæratur, Resp. 1. juxta *1. aph. 23. & 25.* excreta non copiâ sunt æstimanda, sed si qualia oportet exeant, & facilè ferat æger, unde si v. g. 15. 20. sedes operatum sit medicamentum, quærendum est, an cum tolerantiâ, an εὐλαβῶς, & εὐφόρως factæ sint.

2. Sitis est signum perfectæ purgationis, elogio *4. aph. 19.* tum ob alias rationes plures, de quibus videri potest *Galen. in comment. l. c.* tum ob humoris absumptionem, serum enim uti humorum omnium tincturas imbibit, ita præ reliquis etiam pur-

purgatur. Neque tamen id perpetuum est æquè vel absolutè necessarium, præsertim in humidioribus.

Lenientia igitur uti à leniendo alvum nomen habent, ita etiam dicuntur ἐκκοπρωτικά, quasi *stercoraria*, &, quia sine molestiâ ferè alvum movent, blande ac sine virium attritione, benedicta Arabibus audiunt interpretibus, unde pil. benedictæ, benedicta laxativa & alia nomen habent.

Conveniunt lenientia duplici potissimùm casu, primò, quando alvus non respondet, nec officium facit natura, ut leniter ejus admoneatur; deinde quando humores vitiosi in primis viis adsunt, neque tamen vel ob vires debiles, vel minus urgentem copiam, aliasque circumstantias per purgantia æque tolli desiderant.

Hinc de his not. 1. *non semper conveniunt lenientia*, seu ut Hippocrates loquitur, alvum quidem apertam esse in quovis morbo bonum est, non tamen semper opus est, ut primo loco & initio dentur, & præmittantur aliis, omitti enim sæpè possunt & debent, sed si quid movendum videatur, movendum quidem, non tamen semper lenientibus solis. Neque semper conveniunt ratione quantitatis continuæ, neque enim eorum quoque usus debet esse nimis creber, adeoque quotidianus, ut quidam faciunt.

2. *Lenientia* quippe *non differunt à purgantibus nisi gradu*, unde etiam purgantia ipsa minori dosi data fiunt lenientia, magis verò & minus non variant speciem.

3. Hinc *locum habent, ubi purgantia minus conveniunt*, & sicut purgantia incipiunt, ut sic loquar, ubi desinunt lenientia; ita hæc vicem eorundem subeunt & naturam sine molestiâ, vel aliâ graviore noxâ levant, præcipuè si alvus non succedat, vel non sufficienter, vel materia etiam simul evacuanda, leniter tamen ob vires & alia contraindicantia.

4. *Tuta sunt ergo, & naturam non tàm pellunt, quàm ducunt*, dari possunt infantibus, lectulariis, puerperis, gravidis, senibus aliisque valetudinariis etiam in acutis, seu curandi seu præservandi fine, intentionem enim habent naturam blandè solicitare, ut faciat, quæ addecet.

5. *Non*

5. *Non sola tamen sufficiunt.* Hinc *Massariæ* apud *Hoffmannum* querela, non curamus ullos magnos morbos, quia nunquam nos expedimus à lenientibus. Hoc enim casu, ubi fortiori opus est cuneo, debilia nimis sunt, movent, non promovent, unde materiæ morbificæ nulla fit diminutio.

6. *Duplicia sunt, vel per os assumpta, vel per clysteres infusa.* Dantur & vomitoria, & purgantia, & clysteres leniores, utraque impendenda sunt, prout ex usu fore videatur, illa magis abstergendo & leniter stimulando, hi eodem modo agunt, & simul revellunt leniter.

7. *Modò humectantia conveniunt, modò leniter stimulantia,* hinc videndum est, ne gravent ventriculum, quæ enim lubricant nimis, ut pruna, & similia, facilè eidem negotium facessunt, & conveniunt magis siccioribus, melancholicis, hypochondriacis; quæ verò stimulant, magis humidioribus & serosioribus,

8. *Divertunt ad alvum humores*, unde in vomitibus tum aliis, tum gravidarum insigniter prosunt, corrigunt cruditates, unde in affectibus ventriculi aliis, apepsiâ, ructibus, singultibus &c. proficua sunt, & id commodi habent, ut hinc medicamenta alia aperientia, incidentiaque commodius in usum trahi possint.

9. *Dari possunt cum cibo*, tum quod multa simul sint alimentosa, tum quia blandè operantur, nec naturam turbant, tum denique, quia hoc modo longè feliciùs operantur, præcipuè verò ante cœnam. Observasse se scribit *Septalius* vel millies hoc modo ℥ß. aut etiam ʒij. v. g. *elect. lenitivi* majorem excrementorum copiam educi, quàm si uncia & ℥iß. etiam ante prandium sumatur, *l.3. animadv.6.p.57.* Nobis in usu est decocta lenientia, seu infusa etiam, ante cibum dare, pilulas verò aloëticas minores, cum cibo, ità enim feliciter operantur. Clysteres verò ante cibum itidem in usum vocari consueverunt.

CAPUT VI.

Præparantia proponit.

CUm purgatio sit motus localis, viæ etiam requiruntur apertæ, unde juxta *Coum*, corpora si quis purgare velit, *ἔυῤοα*, *fluxilia* illa faciat prius. Tria ergo requiruntur ad purgationem: 1. *movens*, tum medicamentum efficax, tum actuans natura, quæ stimulum sentit & expulsionem hinc molitur, 2. *mobile*, seu humores dispositi, ut evacuari possint. 3. *dispositio* etiam *viarum*, per quas fieri debet excretio; viæ scil. debent esse laxæ, patulæ atque paratæ.

Semper hæc requiruntur, & iisdem perficitur purgatio; non itaque mirandum, si purgatio aliquando ad votum non succedat. Semper enim impedimentum est in hisce tribus, & in iisdem sæpè aberrant medici & ægroti. Hinc viarum aptitudinem respiciunt lenientia, humorum dispositionem præparantia, naturæ sensum ipsa medicamenta purgantia.

Veterum illa methodus, ut hæc ordine se insequantur, est scalaris, & magis locum habet in morbis chronicis; ubi verò induciæ non dantur, ceu in acutis, eâdem non utendum. Primò ordinabant leniens. 2. præparans. 3. purgans. 4. V.S. hinc diaphoretica, diuretica, alterantia. Proponitur eadem etiam in consultationibus, sed sensus tum hîc, tum in illis non est, ut absolutè eo ordine, & non alio procedendum sit, sed ut ex singulis classibus constet, & seligatur, quod præsente indicatione adhiberi possit, unde consultatio adhùc paulò generalior est, specialissima verò ipsa applicatio, sive à Medico præsente, sive per literas.

Quæstio ergò generosa est: Si vera est *Hippocratis* sententia, cocta esse medicanda seu purganda, *μὴ ὠμὰ*, *non cruda*, utrum in morbis semper præparantia danda, nec ne, ubi indicantur purgantia. Rigidè hæc olim observata ab omnibus Medicis antiquis, & Hispani inprimis & Itali hodienum id maximè observant, unde, si quando ad symptomata urgentia emendanda concurrat Medicus, statim clamant sæpè, præter rationem curatum ægrum. Hinc cùm aliquando Regi Iberiæ podagricis doloribus vehementer afflicto dolor mitigatus esset externo quodam exclamarunt medici cæteri, præter rationem curatum regem.

℞. Distin-

℞. Distingu. si dispositi jam sint humores, separatione non indigent, quid enim opus est eosdem disponere, quæ eo non egent; sic in tertianis inprimis febribus mobiles humores sponte suâ sæpè exitum quærunt. Neque necessaria est præparatio sæpè, si respiciatur ad victum, si quis est in motu, victu utitur humido, in regione calidiori degit, ut in Gallia &c. Ast quicunque humor non aptus est ad fluendum, ille nec ad purgandum, unde tunc eget præparatione, adeoque mens est, non quemvis humorem statim æque posse purgatione tolli, sed opus habere, ut prius ad leges naturæ & dominium propius accedat, & hinc diverso respectu antecedentia purgantium sunt præparatio, coctio atque digestio, quæ differunt quidem quoad effectum specialem, conveniunt tamen in genere, quatenus reddunt humorem evacuationi aptum. Coctio respicit quidem separationem humorum in vasis, ut ad naturæ leges propius accedant, si ita disponantur, ut faciliorem segregationem patiantur, unde coctio magis est naturæ, præparatio magis medici; hæc enim qualitatem humorum respicit ac corrigit, primas manifestas, secundas & tertias attendit, motumque vitiosum temperat & moderatur. Par ratio est digestionis, quæ maturat quasi, & cum coctione partim, partim cum præparatione coincidit, licet reverà hæc communiter soleant confundi & pro iisdem haberi. Coctio magis generalior, digestio subalterna, præparatio specialis magis est.

In præparatione humorum duo respicienda: 1. humores expurgandi, 2. partes, ex quibus, & per quas vias purgatio institui debet, ubi not. veteres ferè pro digestivis & præparantibus usos fuisse sirupis, seu, quod fermentationi humorum magis apti sint, seu quod virtutem eorum, ex quibus constant, sartam tectam servent: prius ex parte locum habet, alterum minus. Sed præstat humores in specie considerare; *pituitosi*, i. e. crassi, lenti, viscidi, tenaces, glutinosi præparantur acidis, incidentibus, amaricantibus, -tuosis & partium tenuium, extergentibusque.

Solebant antiquitus considerare etiam pituitam v. gr.

in capite, pectore, ventriculo, quod non penitus est de nihilo.

Bilis respectu corporis est C. S. acris & mordax, tenuis, penetrans, volatilis, refrenanda diluentibus, temperantibus, obtundentibus, incrassantibus, ἐπικεραστικοῖς, id quod fit tum aqueis, emulsionibus, temperatis, tum ☿tibus & infringentibus, terreis, acidulis &c.

Quod si verò 1. abundet, neque qualitate admodum excedat, potest & sine præparatione educi. 2. si turgeat, uti in hypochondriacis sæpe fit. Quatuor verò requiruntur, ut humor dicatur turgens, juxta *Roder. Castr. de compl. morb. c. 17. p. 75.* 1. ut concitata motu agitetur. 2. ut materia sit multa, 3. ne humor, qui movetur, ad certum aliquem locum feratur & moveatur. 4. ut malignam, id est, heterogeneam habeat naturam, nam aliàs in crisi instante etiam moventur humores, sed turgentes non dicuntur.

Humor melancholicus acidus, austerus eodem modo temperantibus, diluentibus seu humectantibus ☿tibus aromaticis & absorbentibus fixis emendatur.

Sin acris, mordicans, corrosivus fuerit, seu, si ablato magis, sero acrimoniâ ⊖inâ magis tumultuetur, ac ferociat, magis humectantia & diluentia ἐνεργητικῶς prosunt.

Serum ipsum, quod vel seorsim, vel cum aliis considerari potest, in se spectatum præparatione omninò non indiget, juxta communem autorum hypothesin, attamen 1. si abundet & restitet v. g. in hydrope, melius primò prospicitur debilitati viscerum, pulveribus & aliis medicamentis anticachecticis, quibus præmissis felicior fit purgatio. 2. si acre & ⊖sum sit, requirit lenientia & humectantia.

Reverà itaque, ut hæc ad usum practicum applicemus, præparantia nihil aliud sunt, quàm alterantia, humorum & sanguinis qualitatibus debita, ut felicior & melior purgantis sequatur effectus, quod fit per contraria, ut si æger curandus obveniat, qui laboret cacochymiâ, cogitet Medicus, an evacuando solum illam simul & semel tollere possit, an verò solùm alterando, an partim alterando, partim evacuando, hinc casu hoc ultimo præmittit debita medicamenta, ut prius alteret,

teret, & ad ſtatum naturalem magis deducat materiam, ut obſequens magis reddita faciliùs evacuetur. Exemplo ſit tertianarius v. g. qui bilioſis humoribus ſcatet, de tertio in tertium diem paroxyſmo corripitur, cum vomitibus bilioſis, ſiti, & aliis ſymptomatibus. Intentio hîc eſt, bilem alterare qualitate peccantem, & quantitate delinquentem educere; hinc medicus commodè prius intendit medicamentis aqueis, ut *ſero cocto*, vel *deſtillato*: acidis, ut ℞â *violar; rhabarb.* ⊖*ſis* aliisque, poſterius verò per purgans exequitur, non neglecto interim paroxyſmo.

Adeoque patet jam, præparantia 1. nihil aliud eſſe, quàm ipſiſſima alterantia, ab uſu hoc & reſpectu ad purgantia ita dicta. 2. reſpicere humorum præcipuè evacuandorum qualitatem & motum, ceu ipſa purgantia magis quantitatem; 3. eadem uſum habere eximium, ſi non in omnibus morbis, religioſè ante purgantia data, neque enim ſemper quantitas illa tam exceſſiva eſt, tamen in illis, ubi hæc occurrunt, nullus verò morbus intemperiei, quâ talis, ſine alterantibus curari poteſt. Patet hinc 4. cur poſt lenientia dederint veteres præparantia, quia viis primis leniter evacuatis, alteratio melior fit. 5. in acutis morbis, aliisque, ubi purgatio non adhibetur, adhibentur itidem præparantia, ſed ſub alio nomine, nempe alterantium. 6. Hinc abuſu potius & conſuetudine factum eſt, ut ſirupis ferè id præſtiterint veteres; alia potius id præſtant, ſirupi ſtant poſt principia.

Memorandum hoc loco eſt, quod Chimici tria digeſtiva univerſalia ſeu catholica ex ♀ parent, 1. cremorem & cryſtallos ♀ri. 2. ♀rum ⊕latum, 3. mixturam ſimplicem, ſeu ~um ♀ri compoſitum. Locum habent hæc & concedi poſſunt, non quidem tam promiſcuo uſu, ſed ob uſum ampliorem, quod ſint polychreſta, & pluribus indicationibus ſatisfaciant, hoc tantùm notato, quod uti ⊖ina omnia, ita & hæc, inprimis ♀rus ⊕latus, minus conveniant in cacochymiâ ſeroſâ, & catarrhoſâ, obſervavimus enim fluxum inde magis concitari & irritari, aliàs utique remedia ſunt utiliſſima.

Adeoque finis præparantium duplex ſtatui poteſt; 1. al-

teratio & correctio humorum, quæ latius coctio quædam dici potest. 2. cum ante purgantia maximè dentur, ut vias patulas præbeant, humores ad motum aptos reddant, obstructionesque aperiant.

Caput VII.

Modus assumendi purgantia describitur.

Respicit hic partim ipsas remediorum formulas, partim ipsum assumendi actum. Quoad prius, alia internum habent usum, alia externum. Liquidâ formâ data purgantia, omnium citissimè operantur, pilulari tardissimè, pulverum & electuariorum medio modo. Communissimè in pulvere dantur, hinc & pro lubitu tum ægri, tum medici in bolo, morsulis, potione. Observavimus in morsulis ob additionem sacchari feliciter satis se gerere eadem. Pilulas ob agendi tarditatem solemus dividere, & partem ipsarum vesperâ antecedente, partem mane sequente propinare, insigni cum strategemate, ita enim emolliuntur magis viæ, & stratis quasi his facilis est hinc operatio. Solent etiam commodissimè in pilulis dari paulò fortiora, ita enim citra tormina aliasque incommoditates purgant. Qui vomunt item facilè, solida sumant, & speciatim pilulas, sicciores & difficulter mobiles liquida. Sed de his sub propriis ipsarum titulis alibi dicendi dabitur occasio.

Quoad alterum verò, seu ipsum assumendi actum, notanda nobis sistimus 1. vehiculum, 2. subsequentem quietem, vel somnum quoque, 3. motum. 4. jejunium. 5. ambientis calorem. 6. quæ alia circa hæc occurrunt gerenda, facienda, vel omittenda.

Vehiculum dare solemus domesticum, jusculum v. g. calidum ac pingue, non frigidum, non acidum. Calida enim matutino præsertim tempore stomacho sunt gratiora, & citius operantur, acidula verò medicamento sunt contraria.

Quæstio h. l. oritur non levis, *an medicamenta purgantia danda*

danda cum cibo seu alimentis? Sunt, qui affirmant, & cum cibis eadem concedunt, ac inter prandendum vel cœnandum propinant, additis rationibus: 1. quod palato hoc modo inserviatur. 2. blandiora h. m. fiant purgantia ac mitiora, unde præter autoritatem *Hippocratis*, quam eruere volunt ex *l. 2. de rat. vict. acut. t. 11. & 12. Aëtius* scribit *tetrab. 1. serm. 3. c. 57.* in cibo medicamentum esse optimum iis, qui natura alvum habent adstrictam, fortassis & iis, qui ex morbo se colligunt, & qui ex diuturno morbo laborant.

Pro negat. facit 1. quia heterogenea sunt utraque, & adeò medicamenti vis à cibo obtunderetur, & 2. cibus ipse corrumperetur coctione impeditâ, finem enim esse diversum, verbo, aliud esse alimentum, aliud medicamentum. Res tamen eò redit & conciliari potest, 1. electivè purgantia prandio vel cœnæ dosi ordinariâ admiscere indifferenter tutum non est. 2. in debilibus, ubi siccitas est alvi, omninò cum alimentis dari possunt, inprimis laxantibus & emollientibus simul. 3. in modicâ dosi, & 4. quæ non adeò fortia sunt, sed magis blanda & naturæ amica. Facit enim hoc ad faciliorem dissolutionem purgationum, ob fermentationem & resolutionem, quam unà subit cibus. Sic pilulæ aloeticæ, angelicæ seu benedictæ dictæ, in parvâ dosi commodè ante cœnam seu initio cœnæ sumuntur.

Postquam assumptum jam est intra corpus medicamentum, suadere solemus, ut per dimidiam circiter horam, dextro æger incumbat lateri, ut eò citiùs è ventriculo egrediatur medicamenti energia. Sed an & superdormire licet assumpto purgante? Suadent quidam somnum, ut eò melius in actum deducatur, atque in halitus dissolvatur.

Et notabile est 1. ab assumptis purgantibus, resinosioribus præsertim, somnolentiam quandam subsequi solere. 2. sæpè videmus etiam in somno moveri alvum, unde qui pilulas sumunt, per somnum sæpè stimulantur ad reddendam alvum. Variæ aliàs hâc de re exstant autorum opiniones, quatenus alii somnum concedunt & suadent, assumptis fortioribus purgantibus, debili verò id negant. Alii, si venenosum & vehe-

vehemens nimis fuerit medicamentum, ut ſcammoniata pleraque, & quæ helleboro & ſimilibus conſtant, ſuper ea minimè dormiendum eſſe volunt, cum metus ſit, ne à ſomno introrſum revocato calore eorum noxia qualitas ad membra nobilia & partes principes mittatur, venenumque latè diſſeminetur, & à lenientibus aſſumptis potiùs dormire concedunt. Alii tantùm à pilulis dormiendum cenſent, à liquidis verò & infuſis ac potionibus, cum facilè diſtribuantur, vigilandum potius.

Statuimus, nihil obſtare, quin ſomnus à ſumpto purgante omninò concedi poſſit, mitior quidem à fortiori, major à leniori adhibito, uti enim certum eſt, obtundi vim fortiorum placido modicoque ſomno, ita leniora eodem non impediuntur, ſed morâ hâc ſenſim & ſenſim ſtimulando hinc alvum ſolicitant.

Motus hinc convenit. Quando ſcil. medicamentum jam operari incipit, corpus ambulatione leviter & leniter movendum. Elegans hanc in rem eſt locus *Hippocratis 4. aph. 14.* epoto helleboro, motu ciendum corpus potius, quàm ſomno & motus vacuitate compeſcendum, nam corpora motu cieri vel ipſa indicat navigatio.

Motu enim leni fluxiles magis redduntur humores, & calor magis operatur, & deſcendunt magis humores.

Uti verò vitâ ſedentariâ ſeu quiete omnimodâ, præcipuè, ſi aliò etiam ventriculi calor vertatur per ſtudia, occupationesque alias ſufflaminatur purgantis actio; ita nimius motus facilè hypercatharſin ciet, cujus rei aliquando exemplum in duobus contubernalibus vidimus. Horum alter fortiori purgante ſumpto, ſtudiis hinc vacans & claudi ſutoris inſtar deſidens nullam experiebatur ſedem; alter verò leniori purgante ſumpto, fortius motus, ſcalas curſitando aſcendens & deſcendens, ad hypercatharſin usque purgabatur.

Jejunio porrò actio purgantis promovenda, neque tamen debilitandum corpus. Non ſolemus tamen ſtrictam diætam præcipere, ut promiſcuè jejunent, præcipuè qui valida medicamenta aſſumſerunt; imò quidam non prius pur-

gantur

gantur, teste experientiâ, quàm comedant, præcipuè sicciores.

Quidam ab assumpto purgante ad horas 4. quidam ad 6. jejunium imperant. Quidam tamdiu jejunandum esse autumant, donec operatio planè cessaverit. Et in chronicorum morborum curatione, in quibus totalis abstinentia non adeò infesta est, quemadmodum in acutis, die purgationis prandium detrahere planè antiquos consuevisse, ex eo manifestum fit, quia in diætâ, ægris tenendâ eo die, prandii nullam mentionem faciunt, exactè tamen & sigillatim, quid cœnandum sit, præscribunt, ut videre est apud *Hippocratem l. de morb. mul. & de affect.*

Sufficit ad horas tres circiter à cibo abstinere, & hinc, sive operatum interim fuerit, sive minus, jusculo uti ac vesci, ut promoveatur magis medicamenti actio, & vires sufficiant.

Sunt, qui aliquot horis post assumtum medicamentum juscula abstergentia ac sorbitiones abluentes exhibere solent. Et certum est, ubi morsiones sentiuntur, & laboriosa est eductio, convenire hæc talia, magis tamen vehiculi & lubricationis fine, neque obstat, quod *Fuchsius l. 1. paradox. c. 8.* hanc consuetudinem vituperare videatur. Sin vomitus simul cieat medicamentum, magis adhuc eadem conveniunt; deinde etiam, quod diximus, in siccioribus, ex quo patet, in pituitosis minus eadem locum habere.

Tangemus etiam hâc occasione, quomodo cibandum die purgationis. ℞. in prandio paullo tenuius, ovum sorbile, jusculum, carnes teneræ, & alia εὔπεπτα assumenda; in cœnâ paullò largius, neutro verò tempore superfluè. Valet enim & hoc loco, corpora impura, quò magis nutriveris, eò magis læseris. *Hippocratis* ipsius hoc institutum fuit, ut, dum evacuationes fiunt, æger tenuius nutriatur.

Sumendus verò cibus εὔπεπτος, abstinendumque ab acidis, stypticis, refrigerantibus, pinguioribus, fructibus crudis, flatulentis & similibus.

Observavimus aliquoties à piscibus, vino Hispanico,

 legu-

leguminibus, item ab irâ, terrore & aliis similibus tormina, hypercatharses ac alia mala sæpè orta fuisse.

Quæritur an vino sit utendum? *Resp.* Neg. vim quippe medicamenti sistit, nisi hoc ipsum intendamus, & natura valdè debilis roboranda; vinum calidius in vasa tunc haustum, sæpè febrim excitat.

Purgans ambiente calido aere degat. Adsumptis in primis fortioribus caput, manus, pedes ac inprimis venter à frigidiori aëre probè muniendi, ne tormina ventris & alia symptomata excitentur, quæ eò facilius ingruunt, quò magis omnia sunt in motu, & corpus ad recipiendam indispositionem quamvis aptius. Non sudandum tamen à purgante adsumpto, ne vis ejusdem turbetur atque impediatur; sunt quippe motus contrarii. Tempore hyemali extra hypocaustum non secedere melius fuerit.

Purgatio ergò, si hoc modo ritè habeat, non temerè sistenda est, præsertim in cacochymicis, ne humores commoti ad partem quandam ruant. Natura enim motus duos contrarios etiam hoc passu difficulter fert. Exemplum tale consignatum est apud *Salmuth. cent. 1. obs. 33.* ubi Comes Mansfeldiæ sumpto purgante, cùm ad Electorem Brandenburgicum vocaretur, ceram ventri imposuisse scribitur, ne sedibus in itinere, quod eques faciebat, occuparetur, inde verò materia à medicamento mota ad crus delata fuit, ibique inflammationem excitavit, subsequente mox gangrænâ & sphacelo.

Consequentia purgantium etiam spectanda, nausea, operatio cessans & superflua. Nausea retundenda. Certum est quidem, sæpè à purgantibus, licet id non intendant, moveri vomitus præsertim in biliosis, ubi materia ἄνω tendit, & quò vergit, eò à naturâ ducitur; ast si id prohibere consultum sit, ac nausea, uti sæpè fit, negotium exhibeat, conveniunt odorata vel imposita externa, v. g. cepa admorsa, ovum gulæ impositum, circumjectum collo linteamẽ, teste *Schwalb. D. Th. l. c. p. 53.* odoratus panis tosti; optimè verò omnium id præstant acida, v. g. ✝ odoratum. Non incommodum tamen est, vomitum etiam lenem sequi. Commendant quidam cucurbi-

curbitulam umbilico appoſitam, revellendi fine, aut intercipiendæ ejus, quæ ad ventriculum tendit, materiæ, ſed eo non opus eſt.

Pigrities purgantium leniter ſtimulanda. Quid agendum, ſi non operetur, ſi quæratur, præter motum à *Coo* commendatum, juſculi hauſtum, & reliqua jam dicta, non ſolemus ceu cuneum cuneo ſuperaddere, novo purgante deſuper hauſto, ſed tantùm lenientibus id promovere, v. g. *pilul. aloet. elix. propriet.* paullò largiori doſi, R̄â 🜿*ri*, *cremore*, *cryſtallis ejusdem*, aut 🜿 ⊖*to* (⊖ia enim optimè id promovent) vel ſi res urgeat, clyſtere, ſuppoſitorio.

Quidam nudis pedibus deambulare ægrum jubent, verum id & cautè agendum, neque æque locum habere poteſt; quis enim id ægris præceperit? Quod ſi verò fruſtranea ſint omnia, aliquot diebus poſt denuò præmiſſis humectantibus & aperitivis repeti cum ſtimulo paulo auctum medicamentum poteſt.

Hoc loco illorum ridenda eſt opinio, qui putant, ſi purgans aſſumptum non operetur, verti id ipſum in venenum, & multa exinde ſibi timent pericula, cùm enim debilius fuerit, quàm ut naturam ſtimulaverit, multò minus in venenum ſeu pejorem qualitatem degenerabit.

Hypercatharſis maturè ſiſtenda. Terminus purgantis eſt εὐφορία, ſi talia exeant, quæ non lædunt vires, qualia ſi ultrò manarent, bono eſſet, juxta *4. aph. 2. & 3.* Sin ultra naturæ & virium ſphæram, inhibenda eſt medicamenti actio, unde ex ipſo nomine patet, quod hypercatharſis ſit excretio ſuper vel ultra vitioſos humores, humorum alimentariorum, utilium, ſanguinis, ipſorumque ∽-uum.

Præſtat verò ſiſtere hunc fluxum, tum confortantibus internis & externis, tum narcoticis. Confortantia proſunt aromatica ſtomachica, *n. m.*, *cydoniata*, ▽ *menthæ c. v.* ▽ *cinam. c. v. cydoniata*, it. *laudanum opiatum*, *magiſt. anodyn. c. corall.* & *ebore.*

Nullum verò præſentius vidimus remedium, quàm *theriacalia*; prodeſt enim tum theriaca ipſa recens, ad quam ceu

 ad

ad ſacram anchoram ſolemus confugere in tali caſu, quia adhuc vires opii in eâ ſe exerunt, tum aqua & eſſentia theriacalis.

Quod ſi purgationem inſequatur lipothymia, ceu quandoque in debilibus & ad eam diſpoſitis, præcipuè fœminis, contingit, ob commotionem humorum & fermentationem, analepticis & aq. apoplect. ~tuoſis reficiendus eſt æger internè & externè; dari etiam poſſunt abſorbentia cum vel ſine opiatis acciſâ doſi.

Sin febris ſubſequatur, quod nonnunquam accidere conſuevit, factâ nimiâ ſeri evacuatione, mixtura ſimplex, acidula potui indita, & ⚗tantia proſunt, non omiſſo potu, ut ſenſim ſanguini ſuus reſtituatur tonus, hoc enim pacto ultra unum alterumque diem non durabit, quod aliquoties obſervavimus.

A purgatione etiam ventriculus roborandus quandoque juſculis ~u ⊖lt, vel ℞â *roſar. violar.* acidulis, cum mace. Quidam regionem ventriculi ∘∘ N.M. inungere jubent. Solent quoque à quibusdam altero die ad ventriculum aliasque partes roborandas præſcribi boli, vid. *Riv. inſt.*

Cumque ordinariè poſt purgationem alvus ſegnior eſſe ſoleat per 2. 3. & plures dies, cibis humectantibus, ut pomis Borsdorff. cum paſſul. prunis &c. vel ∘∘ amygd. d. & ſimilibus in ordinem redigenda.

CAPUT VIII.

In quibus affectibus purgatio conveniat, paucis delibat.

Cùm ergò uſus & finis purgantium ſit cacochymiam è toto educere, eximiè proſunt & conveniunt 1. *in affectibus infimi ventris, dolore meſenterii, obſtructione ejusdem*, ut & *lienis, hepatis, affectu hypochondriaco, ſcorbuto, hydrope*, in quo audacia empiricorum ſæpè ulterius progreditur, quàm ipſi medici, unde leguntur h. m. reſtituti ſæpè hydropici. Utiliſſima ſunt in *vermibus*, unde ſtatuimus, purgantia eſſe optima anthelminthica; unde quæ leguntur obſervationes ſecretorum vermium

mium miræ longitudinis vel magnitudinis, eæ omnes, aut saltim pleræque præstitæ sunt purgantibus scil. propriè dictis.

Dolores colici etiam icterum jam procudentes felicissimè sæpè tolluntur purgante, quo de videri potest locus elegantissimus apud *Rolfincium dissert. de ♀ro c. 2.* qui ipse hoc modo sæpius ab ictero hoc symptomatico fuit liberatus.

In *doloribus iliacis* nihil præstantius invenimus purgatione, ita enim materia impacta intestinorum tunicis optimè educitur. Hinc non solùm clysteres emollientes & stimulantes eo casu optimè conducunt, verum etiam ipsa per os assumpta purgantia, præcipuè, ob ἐνεμεσίαν, pilulari formâ, cujus rei notabile exemplum annotavimus *ann. II. Ephemer. Germ. obs. 238.*

Notandum hoc loco, purgantibus quoque addi *narcotica*, v. g. laudanum opiatum, ubi scil. indicatio est evacuandi humores & dolores tollendi. Valet id potissimum in *colicis* & *iliacis*, tum quia hi purgantia sæpe ægrè retinent, tum, quia refractâ dosi opiata non suffiaminant operationem purgantis medicamenti, sed juvant, & simul dolores sedant, unde roborata natura fortius insurgit ad exturbandam materiam vitiosam. Exempla talia & observationes videri queunt apud *River. Thonerum* & alios. Imò, si opiata præmissa vomendi assiduum conatum prius sedaverint, hinc purgans datum feliciter scybala ab infarctu expedit.

Hæmorrhoides cient obstructas, & nimis fluentes sistunt purgantia, illud vi aperiente, stimulante & acri, v. g. aloëtica, scammoniata; hoc per accidens, sublatis biliosis acribus humoribus.

Menses ducunt purgantia, tum per se, tum præmissis aperientibus & humectantibus, ut sæpè ipso purgationis die redeant. Sin verò nec humores ad hoc dispositi, nec viæ liberæ fuerint, parum opis ab iisdem percipere licet.

In *affectibus renum*, *vesicæ* & *penis* itidem se commendant, præsente tamen calculo in renibus vel vesicâ fortiora vitanda sunt. Observavimus etiam in *gonorrhϾâ* purgantia exhibita (loquimur non de lenioribus demulcentibus, *pul-*

pâ cassiæ &c.) utplurimum fluxum adauxisse ; unde temperantia potius danda ; vel licet videatur augeri fluxus inde, præsente indicatione, roboratis tamen de hinc partibus magis cedit malum.

Notandum enim est, purgantia stimulare partes genitales, & ♀rem per accidens quoque ciere, ob viciniam vesicularum seminalium & intestini recti, qualia exempla occurrunt apud *Platerum* & alios.

In *medii ventris affectibus* itidem se commendant, ut *asthmate* & *respiratione difficili*, in *phthisi* & *hæmptysi* blandæ quoque purgationes locum habent è *rhabarb. cassiâ*, & similibus; fortiores verò exulent. Præservativè etiam his quàm maximè conveniunt, quo de videri meretur *Galen. 6. aph. com. 47.*

In *pleuritide* etiam & *peripneumoniâ* absint ; Malè enim cessisse purgantia hisce ab empiricis inconsultò propinata, experientia demonstravit ; in *palpitatione cordis* conveniunt.

In *cerebri*, *oculorum*, *aurium*, *palati*, *dentium*, imò ipsius *linguæ* affectibus summo cum fructu offeruntur eadem. Præcipuè in *melancholicis* apprimè prosunt, unde observavit *Galen. l. c.* quendam singulis annis incidisse in melancholiam, nisi purgatus fuerit, sensisse quin imò statim ejus accessum, & simul ac purgati fuissent humores atri, protinus cessasse melancholiam. In *maniâ, vertigine* idem valet.

Ophthalmiam tum incipientem, tum inveteratam creberrimè vel unicâ purgatione sanavimus ; vidimus etiam utilissimè eadem adhibita in cœcitatis metu & humorum ad oculos affluxu & visus debilitate.

Odontalgiam item contumacem sæpissimè funditus everti posse purgante fortiori notavimus.

Sic & in omnibus impuritatibus sanguinis & cutis deturpationibus, *scabie, leprâ, cancro* incipiente, *ulceribus antiquis* & similibus optimè se gerunt, quo de totus agit *aph. loc. cit.*

Quàm maximè etiam prosunt in *podagrâ*, unde *Solenander* purgationes, ait, omni quidem arthritidi, sed pituitosæ maximè conveniunt. Hinc sæpè nullius remedii eviden-

dentiorem perſpiciunt utilitatem arthritici, præcipuè etiam arthritide vagâ laborantes. Celebre exemplum *Bayerus* præbet, qui electuario ſuo caryocoſtino ſe ſæpius & ferè unicè liberavit.

TANTUM.



Quæ benè fœcundæ nunc mandas ſemina terræ,
Olim, MI FOURI, commoda multa ferant.

Ita ex animo, properante quidem calamo, precor

RUDOLPH-WILHELMUS Krauß /
Phil. & Med. D.P.P.

ESt opus eximium, ſi noris condere purgans,
ſi vomitum, ſi ſudores lotiumque movere.
Aſt ſatis eſſe nego, cum tonſor, agyrta, ſacerdos,
ac anus id norint itidem: Præſtantior uſus
artificem morbi decet, ut quibus addecet unus,
quantum, quo melius, quo tempore, ſuadeat uti.
Tu veræ inſiſtis methodo, rideſq; medentum
per mortes hominum mores; hinc auguror olim
Te medicum celebrem fortunatumq; futurum.
Non meritus Tibi deêrit honos, & divite cornu,
ſponſor ero, modò ſic pergas, fortuna ſequetur.

Pereximio Dn. Reſpondenti, Auditori ſuo pio, modeſto, ſolerti, ſucceſſus ſtudiorum invidendos exoptat

PRÆSES.

Phar-

PHarmaca quid valeant, quid ſint, quî denique proſint,
ſuccinctâ methodo diſſeris atque probas.
Auguror hinc, FOURI, benè ſi perrexeris ultra,
pharmaca ut hæc certè dona latura ſient!

Præeximio Dno Reſpondenti de conatibus laudabilibus gratulor

AUGUSTINUS HENRICUS FASCHIUS, D.
Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ.
Archiater Ducalis Saxonicus.

COeptum næ pulchrum, quod ſi pertexeris ire,
Te quò virtutum Sacra Corona vocat.
Perge igitur, DE FOURE, *ita laus tibi maxima ſurgat,*
Sic tua perpetuò fama ſuperſtes erit.
Auguror, haud Patriæ exiſtes inglorius Urbi,
Virtutisq; tuæ pulchra tropæa feres.

Præeximio atque Doctiſſimo Dn. Reſpondenti, Inquilino ſuo perdilecto, mente & manu ita ſuum teſtatur amorem

M. JOHANN. BRENDEL, S.M.C.S.

I Bone! quô Tua Te virtus vocat, i pede fauſto,
Fervidus hicce labor præmia grata dabit.
Currenti calcar ſubdo, pia vota precesque
Jungens, iſta DEUS, cuncta beare velit!

Præſtantiſſimo atque Exoptatiſſimo Dn. Conterraneo, ut unico ita chariſſimo, pauca hæc Pyladeo pollice deproperare voluit ac debuit

P.C. ZAUNSCHLIFFERUS, L.L. Stud.

FINIS.